Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26181
Copyright: Admont, Benediktinerstift

inimicos nostros praestantes eis beneficia tantummodo, aut etiam affectum eis exhibentes? et si hoc possibile est fieri? Responsio.

Inimici proprium est laedere et insidiari. Videtur ergo omnis qui quomodo laedit aliquem inimicus dici. Maxime autem hi qui peccant. Isti enim quod in se est laedunt diversis modis et insidiantur vel his qui se vident, vel his qui simul vivunt. Et quoniam ex corpore et anima constat homo, secundum animam quidem diligamus arguentes commonentes et omnimodo ad conversionem eos provocantes; secundum corpus vero praestemus eis beneficia et misericordiam, et si indigent victum. Quoniam nemo dubitat quin caritas in affectu sit. Quod autem possibile sit docuit dominus per caritatem dei patris et per suam obedientiam usque ad mortem, quam utique pro inimicis adhuc et impiis sustinuit nobis. sicut et apostolus testatur dicens: Commendat autem deus suam caritatem in nobis, quia cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Sed et nos ad hoc ipsum cohortatur dicens: Estote ergo imitatores dei sicut filii carissimi et ambulate in dilectione sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis hostiam et oblationem deo. Numquam autem praeciperet hoc iustus et clemens deus, nisi utique et possibilitatem nobis donasset. Ipse enim hoc naturae nostrae ostenditur, cum et bestiis vel animalibus erga eos qui beneficium aliquod praestiterint inest naturalis affectus. Quis autem tantum beneficium amicis praestet quantum inimicus cum nobis causa beatitudinis efficitur? Illi usque dicit dominus: Beati estis cum persequentur vos et exprobraverint et dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me. Gaudete et exultate quoniam merces vestra multa est in caelis. Interrogatio.

148 Quid est quod dicit apostolus: Irascimini et nolite peccare, et sol non occidat super iracundiam vestram, cum alias dixerit: Omnis amaritudo vel ira vel indignatio auferatur a vobis?

Arbitror in hoc loco Responsio apostolum secundum imitationem domini haec locutum esse, sicut in evangelio dominus dicebat: Audistis quia dictum est antiquis hoc vel illud, et ipse addebat dicens: Ego autem dico vobis hoc vel illud. Ita etiam apostolus cum prius meminisset antiquitatis per hoc quod dicit: Irascimini et nolite peccare, paulo post addit quod dixerat et quod nobis convenerat dicens: Omnis amaritudo et ira et indignatio et